



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Vsitatissimus in Card. Aquirre ad solum judicium reflexum appellandi
mos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

10. n. 29. ait sibi esse verisimiliorem opinionem negantem, quod Communio sub utraque specie det maiorem gratiam; & *diff.* 11. plura resolvit trahendo unice opiniones de dispositione necessaria ad Eucharistiam; & a n. 34. & 46. plura solvit per opinionem probabilitatem, quas refert, & quas directe nec approbat, nec reprobat.

N. Appello modo ad Lectorem, immo ad 168. relatos Probabilioritas, & peto a P. D. P. Thyro, & a P. Mueissa, quomodo tam facile obliviscantur doctrina, quam mordicus asserunt, de insufficiencia solius iudicii reflexi certi de objectiva probabilioritate, aut probabilitate; si enim hæc insufficiens est, cur doctrina opposita utuntur relatis in locis, appellantes unice ad solum iudicium modale de objectiva probabilitate, aut probabilioritate? Si verò non est insufficiens solum iudicium reflexum suspensio omni directo de veritate, cur illud impugnant in *tract. de Reg. mor.*? Sanè veritas semper est eadem, quod si claudicat, vera non est: ergo vel malè resolverunt dubia in suis *Tomis Theologicis*, si vera est doctrina asserta in *tract. de Reg. Mor.* quod semper necessarium sit fixum de veritate iudicium; vel malè asserunt necessitatem huius iudicii, si citata dubia, sive speculativa, sive practica, per solum iudicium reflexum de objectiva probabilitate, aut probabilioritate veritatis, suspensio prorsus omni directo de veritate, resolverunt. Hinc quò magis nostram doctrinam perpendo, eo magis in eam eo; talis enim est, ut vel impugnantes illam ad se trahat.

SECTIO V.

Aliorum Institutorum Doctores.

§. I.

Usitatissimus in Card. Aguirre ad solum iudicium reflexum appellandi mos.

SUMMARIUM.

Plerique DD. contenti solo reflexo, n. 169.

Adrianus Papa ait, unum Doctorem satis esse, si gravis sit, ut quis tunc operetur, n. 170.

Idem Adrianus, & Sixtus IV. solo iudicio reflexo utuntur, ibid.

Card. Aguirre ait, & laudat S. Anselmum, quod utitur rationibus probabilibus, n. 171.

S. Gregor. ait, quod aliqui per inquisitionem nimiam in errorem labantur, ibid.

S. Thom. ait, quod Theologia utitur auctoritatibus Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex proprijs, sed probabiliter, ibid.

Card. Aguirre monet, ne faciles simus damnare oppositam. An hoc cohareat cum doctrina Probabilioristarum? Ibid.

Probabilioristarum? Ibid. C. Aguir. utitur sepiissime solo iudicio de probabilitate, imò probabilitate, a n. 171 ad 179. Inconsequenter doctrina, n. 172. 173. Adversari similitudinem probabilitatis, quam negat, a n. 174. 175. 176. Scelus oppositam sibi sententiam vocat probabilem, n. 177. Abulensis utitur solo iudicio de communitate, & verosimilitudine suspensio directe, n. 179.

Molestissimus essem mihi, & alijs, & N. Matramenti non minus, quam tempore ris penuriam vererer, si quæ ceteris, quæ prestantiores, & litterario orbi celeberrimos, et omni Familia, Instituto, Universitate, & Natione tradiderunt, in brevem synopsin contrahere vellem. Hoc mihi exploratum, vix ullum sive Antiquum, sive Modernum Doctorem esse, qui in rebus incertis fixum timens proferre de veritate iudicium, solo iudicio reflexo objectivæ certitudinis moralis, aut probabilioritatis, aut probabilitatis, aut maioris verisimilitudinis, aut communitatis, sive æqualis, sive maioris, sive minoris, de veritate opinionis contentus non sit.

Dedi supra *sect.* 1. Adrianum Pontificem Summum, quem Adversarij immerito pro sententiâ negante licitum ulum minus tutæ minus probabilis, invitum trahunt. Hic igitur Pontifex, præter textus à me supra datos, *quodlib.* 1. *art.* 3. in *Alphab.* 2. *lit.* H. ait: Ex his credo probabiliter dicendum, quod sincero affectu salutem animæ suæ querens, si consilio Magistri, vel egregij illius Doctoris Hugonis de S. Victore propter scandalum vitandum, non veræ uxoris debitum reddiderit, excusetur à peccato, etiam si eorum opinio sit erronea. Ecce 1. quod, juxta Adrianum, unus egregij Doctoris opinio excuset operantem, etiam si foret erronea. Ecce 2. utitur iudicio reflexo de objectivâ probabilitate; ait enim, Credo probabiliter dicendum, id est, iudico certo probabile &c. Similiter *sect.* 3. §. *unic.* dedi Franciscum de Ruvere, qui etiam ad totius Ecclesiæ regimen evectus fuit; hic enim Pontifex utitur solo iudicio reflexo de probabilitate, dicens probabile esse, quod Deitas separata fuerit à sanguine effuso: ergo solum de probabilitate iudicium in questione num resolutione satis est juxta citatum Pontificem.

Sed accedamus ad Card. Aguirre, Probabilioristam, & videamus qualiter in suis in S. Anselmum *Tomis* discurrat, an ubique omnia resolvat per iudicium directum de veritate, an sæpius utatur solo iudicio reflexo

flexo non tantum de probabilitate, sed de probabilitate. Igitur *tom. 1. in S. Anselm. tr. 1. disp. 1. n. 27.* loquens de S. Anselmo ait: Præter rationes plerumque demonstrativas, quibus utitur ad probandum veritates naturaliter demonstrabiles, adducit plures alias solum probabiles, quæ verosimiliter ostendant ea ipsa mysteria, quibus præcipue assensum præstamus per Fidem, conferant aliquid momenti ad solvenda argumenta in oppositum. Ecce quid de tuo Magistro dicat; non dicit rationes probabiles, quibus verosimiliter, sed probabiles, quibus verosimiliter; nec dicit illas conferre multum momenti, sed aliquid momenti: ergo nullo jure obligat nos sequi, & uti tantum rationibus probabilioribus, quibus verosimiliter ostendatur veritas moralis. Immo nequeo præterire, tum quod Card. Aguirre *n. 28.* trahit ex S. Greg. *lib. 16. Mor. cap. 17.* dicente de aliquibus, quod per inquisitionem nimiam in errorem labantur. Hoc autem neutiquam convenire potest, ac obliganti ad iudicium directum probabilis, non contentus solo reflexo evidenti de objectivâ probabilitate; iste enim ob nimiam veritatis inquisitionem, & amorem sepe in errorem labitur, cum iudicio probabiliori inquit sepe error: tum quod tradit *n. 36.* ne faciles simus nigro dente convellere opiniones alienas; an autem huic consilio pareant, aut parere possint illi, qui eo ipso, quod suam iudicant probabiliorem, eo ipso alienam iudicant apud se non tantum falsam, sed ne quidem probabilem juxta principium Probabilitatis, viderint illi: & *disp. 2. n. 37.* ex S. Thom. *1. p. qu. 1. art. 8.* ait, Theologiam uti auctoritatibus Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex proprijs, sed probabiliter: & *n. 38.* ait, nullum ex SS. PP. in singulari, suâ auctoritate reddere doctrinam aliquam omnino certam, sed tantum probabilem. Ecce S. Thom. non dicit probabilis, sed probabiliter; & Card. Aguirre non dicit probabiliorem, sed probabilem: vel ergo tō probabiliter, & tō probabilem, stat subjective, & sic ad operandū satis erit opinio subjective probabilis; vel stat objective? & sic satis erit iudicium modale certum de probabilitate.

Similiter *tom. 1. disp. 4. n. 15.* ait probabilior sibi videri sententiam aliorum TT. cum S. Thom. quod Theologia non sit habitus supernaturalis. Ecce purum de objectivâ probabilitate iudicium. Et *n. 30.* Communior aliorum sententia, ac meo iudicio verior est, quod conclusio Theologica mediatē solum spectet ad Fidem. Ecce probabilitas objectivâ; ait enim sibi verius,

Tom. III.

seu verosimiliter sibi esse. Et *disp. 8. n. 19.* loquens de ratione, quâ utitur P. Raynaudus, ait esse probabilem, non tamen concludentem; & subdit: Quin & probabile est intellectui animæ separatæ debitam esse cognitionem evidentem Angelorum. Ecce tum sola objectivâ probabilitas, tum quod ratio aliena possit esse probabilis; ergo etiam aliena conclusio opposita meæ. Et *disp. 9. num. 30.* Longè probabilior sententia est, quæ negat possibilem esse creaturam perfectissimam: & *n. 39.* ait, omnes Divi Thom. Interpretes dicere ejus rationem esse tantum probabilem: non dicit probabiliorē: & *n. 52.* ait dici posse quod Dæmones actu fidei supernaturalis, coacti tamen, credant possibilitatem visionis Dei amissâ in pœnam scelerum; nec absurdum esse ut illis inexistat aliquid intrinsecè supernaturale, sicut in hominibus damnatis character supernaturalis Baptismi, & Ordinis, in maiorem eorum ignominiam, ut TT. cum D. Thom. *3. p. qu. 63. art. 5. ad 3.* Quin Durandus in *2. dist. 3. qu. 7. n. 20.* ait, Dæmones per revelationem agnoscere effectus supernaturales; & *dist. 7. qu. 3. n. 4.* supponit Dæmones posse plura supernaturalia cognoscere ex Dei revelatione; & in *3. dist. 23. qu. 9. n. 9. & 10.* probabile putat actum, & habitum fidei infusâ manere in Damnatis. Quod ipsum docere videtur S. Thom. Alensis, & alij citati à P. Suar. *disp. 6. de Fide, sect. 9. n. 8.* Ecce Card. Aguirre, ut ostendat Dæmones nullo actu naturali evidenti cognoscere possibilitatem visionis Dei, recurrit ad puram probabilitatem sententiarum oppositarum, quas iudicat falsas, & minùs probabiles: ergo usus probabilitatis objectivæ utilissimus est, immò licitus.

Rursus *tom. 1. disp. 10. n. 33.* ait: Hæc solutio omnium probabilior videtur, & quæ difficilius impugnari possit; eam tamen impugnat; ergo vel per probabiliorem intelligit unicè probabilem, & hoc non, quia eam impugnat; vel æquè, aut minùs probabilem; & sic solutio opposita propriæ est mihi probabilis, immò probabilior, ita enim vocat. Addo, quod si solutio opposita suæ est probabilior, ergo propria solutio erit illi minùs probabilis; quomodo ergo obligat ad probabilis, si ex solutionibus sequitur minùs probabilem? Et *disp. 16. num. 24.* allatâ Scoti ratione pro repugnantia virtutis creativæ in creaturâ ait: Ratio hæc probabilis est, & ingenio Subtilis Doctoris digna, sed facile solvi potest. Ecce dat probabilitatem rationi, quam rejicit: ergo non est idem minùs probabile, ac non probabile; nec est

Y ij idem

idem probabilius, ac unice probabile; nec verum est, quod opposita opinio, aut ratio non sit probabilis illi, cui propria est probabilior; quæ sunt principia Probabilioristarum, quibus Card. Aguirre inhæret.

N. Tandem *tom. 1. disp. 7. n. 9.* ait: Multi probabiliter docent non esse opus ut instrumentum &c. Ecce utitur doctrinâ probabilium aliorum, ut ostendat argumentum non esse convincens; ergo licet uti, non tantum iudicio de objectivâ maiori aut equali, sed etiam minori probabilitate, immo cum iudicio de falsitate ejus doctrinæ probabilis: & *ibid.* prosequitur utendo opinionibus probabilibus alienis, quas non approbat ut veras; immo à *n. 35.* ut objectionem solvat, utitur doctrinis probabilibus inter se oppositis: & *disp. 18.* ait: Quamvis hæc probabiliter dicta sint juxta sententiam D. Thom. possunt etiam probabiliter solvi. Ecce simulatas probabilitatis, nam & rationem Divi Thom. & solutionem ei oppositam vocat probabilem. Et *disp. 19. n. 4.* ait verisimiliorem opinionem negantem, quod actio productiva sit à Deo distincta: & *disp. 34. n. 11.* ait valdè probabilem opinionem tuentem, quod Deus re ipsâ ex tempore ad creaturas referatur: ecce probabilitas objectiva: & *n. 50.* de opinione statuente relationem prædicamentalem in solo fundamento, connotato termino, ait, quod sit valdè probabilis; eam tamen, etsi nunc probet, prius deleverat; immo *n. 57.* utitur responsione fundatâ in opinione oppositâ statuente relationem prædicamentalem in aliquo superaddito intrinsecè ipsi fundamento. Et hæc ex *tom. 1.* neglectis pluribus, satis sint.

N. Consultamus secundum, in quo habet sententia; nam *disp. 62. n. 55.* ait: Quidquid in oppositum velit P. Ruiz *disp. 60.* de SS. Trin. *sect. 6.* nobis probabilius videtur, Personas Divinas propriè, nec sibi, nec mutuo inter se loqui: & *n. 61.* sibi probabilius esse, quod verbum in nobis non distinguatur ab intellectu: & *disp. 67. n. 71. & 72.* dupliciter respondet juxta duplicem contrariam opinionem, unam Thomistarum, alteram Jesuitarum, de efficaciâ gratiæ, præscindendo à veritate earum, confusus soli objectivæ probabilitati utriusque opinionis: & *disp. 68. n. 12.* suam opinionem vocat veriore, seu verisimiliorem: & *n. 15.* rationem, quam refutat, vocat valdè plausibilem, & probabilem: & *n. 26.* ait: Probabilius apparet, & conformius Scoto. Ecce reflexum modeste iudicium. Et *n. 50.* dicit, quod objectioni responderi posset juxta sententiam Durandi in *4. disp. 49. qu. 3.* quam etiam Scotus pro-

Durand.
Scot.

babilem reputat. Ecce Scotus, & Aguirre eâ solutione utens putat probabilem. Et *n. 63.* dicit: Vidimus potiora utriusque sententiæ fundamenta, ex quorum solutione patet, unamquamque esse satis probabilem, tum ab autoritate, tum ratione... adhuc tamen probabilioris censet negantem. Ecce tum quod utraque sit eidem Aguirre probabilis, tum solum iudicium modale de probabilitate negativæ: & *n. 74.* adductis rationibus pro eadem negante, ait: Longè veriore existimo negantem. Ecce iterum solum modale.

Similiter eodem *tom. 2. disp. 70. n. 22.* tradere tentans rationem, cur Filius Dei sit imago, ait hoc explanari posse juxta utramque opinionem, contradictoriâ autem sumptis utramque putat probabilem, nam judicat P. Vag. aptas explanationi: & *n. 33.* ait posse melius responderi cum P. Suar. P. Valqu. P. Amico *tom. 1. disp. 26. n. 211.* ideo Verbo convenire conceptum imaginis &c. Ecce reflexum de verisimiliori responsione. Et *disp. 71. n. 20.* ait, probabile esse, quod S. Thom. in Summâ mutavit sententiam: & *n. 21.* Censet verius, & probabilius in Divinis Personis dari entia substantiva, sed cum addito, nempe relativa: & *n. 34.* ait: Melius responderi potest. Ecce vel est idem ac respondere, & tunc modale æquivalet directo; vel non facit. Et *disp. 74. n. 46.* ait juxta veriore sententiam, essentiam distingui ab existentia: & *n. 51.* ait: Suppositâ sententiâ valdè probabili, quam secuti sumus in Metaphysicâ. Ecce ibi veram, hic valdè probabilem judicat, & ex probabilitate objectivâ opinionis differit: & *disp. 75.* ait: Opponit Godoy *1. p. disp. 80. n. 116.* probabile esse quod humanitas Christi retineat propriam existentiam. Ecce Godoy inter T. T. notissimus solâ utitur probabilitate objectivâ. Et idem C. Aguirre *l. c.* post pauca ait, quod Theologi passim Fidei veritates exponant per opiniones sibi probabiles. Ecce non dicit veras, sed verisimiliores: ergo iudicium de solâ objectivâ probabilitate est familiare, & utile Theologis, ut veritates Fidei explicent; cur non etiam, ut juxta veritates Morales operemur, nixi soli iudicio de earum objectivâ probabilitate?

Demum eodem *tom. 2. disp. 76. n. 3.* ait N. sibi esse longè veriore sententiam veterum Thomistarum. Ecce solum iudicium de maiori probabilitate. Et *n. 44.* esse sibi probabiliore sententiâ existentiæ &c. Et *n. 75.* ait: Dicimus utramque sententiam esse valdè probabilem, & maxime coherētem doctrinæ Conci-

Conciliatorum PP. & TT. & *disp.* 77. n. 16. ait, se daturum plura testimonia Patrum, quæ rem saltem maximè probabilem reddant: & *disp.* 78. n. 6. iudicat suam asser- tionem valde coherentem Anselmo: & *disp.* 80. n. 49. ait: Idipsum tradit Scotus *dist.* 28. *qu.* 3. *§.* *Ad questionem.* & *§.* *Ad argumen- tum principale.* & *quodlib.* 4. nempe Perso- nas Divinas constitui relationibus sub mu- nere proprio relationum, quamvis idem Sco- tus aliter probabilem esse opinionem Joan- nis de Ripa docentem constitui per proprie- tates absolutas. Ecce Scotus sententiam suæ oppositam vocat probabilem: & *num.* 60. ait Card. Aguirre se, ut respondeat salebroso, & subtili argumento, electurum, quod pro- babilius apparet: non dicit verum, sed pro- babilius: & *disp.* 91. n. 21. ait, videri satis probabiliter constare, quòd processio Spiritus S. à Filio ante Lateranensem non fuerit de- finita: & *disp.* 92. *sect.* 3. videri admodum probabile, quòd particula, *Eliquoque procedit*, addita symbolo fuerit in Concilio tertio Toletano: & *disp.* 93. *sect.* 2. ait: Porro Sco- tum, & sequaces probabiliter allegare pro se S. Anselmum; alios vero cum S. Thom. probabilius in oppositum; & *n.* 15. Quam- vis hæc probabiliter dicta sint; & *num.* 17. Centeo probabilius cum S. Thom. & *sect.* 3. Ostenditur ex mente S. Anselmi tamquam probabilius, quòd Spiritus S. non foret Per- sona distincta à Filio, si ab eo non procede- ret: & *disp.* 100. n. 12. Posterior dicendi mo- dus est planè verosimilior precedenti, nec tamen ideo verus, quantum conicere pos- sumus. Ecce tum perpetuus solius iudicii reflexi usus; tum quòd in opinionibus suæ oppositis agnoscat unam esse probabiliorem alia: ergo falsum est Probabilioristarum principium, quòd nulla opposita opinio sit mihi probabilis; nam licet omnes iudicem falsas, attamen una est mihi (ait Card. Aguir- re) verosimilior alia. Hæc quoque, præter- missis alijs, sint ex *tom.* 2. satis.

N. In *tertio Tomo* hæc habet *disp.* 103. n. 41. 178. Centeo valde probabilem opinionem, tum C. Agui. quòd possibilis sit, tum quòd de facto ex- istat creatura intellectualis &c. Ecce iudi- cium reflexum, & modale æquivalens direc- to, & absoluto, nam ejus rationes non tan- tum probabilitatem, sed veritatem opinio- nis suadent. Idem repetit *n.* 64. & 85. di- cens: Hæc solutio, & doctrina, quamvis absolute probabilis sit, est tamen minùs conformis Divo Thom. Ecce solutionem minùs conformem D. Thom. vocat absolu- tè probabilem: & *disp.* 108. n. 28. ait: Sup- positâ priori sententiâ tamquam conformio- Tom. III.

ri verbis D. Thom. concedo enthymema. Ecce non dicit, tamquam absolute vera, sed tamquam verosimiliori: & *disp.* 109. n. 11. ait: Licet utraque opinio inter Scholasticos communis sit valde probabilis, posterior videtur verior, & conformior Divo Thom. Ecce tum quòd utramque iudicat valde pro- babilem, etsi posterior sit ei probabilior; tum quòd dubium resolvat per probabiliorita- tem, quæ æquivalet, juxta Card. Aguir- veritati; nam ejus rationes probant verita- tem opinionis: ergo si licet uti solo directo, licebit etiam solo reflexo, cum æquivalent. Et *disp.* 115. n. 26. ait, videri satis simile ve- ro &c. Et *disp.* 119. n. 34. & 35. Hæc solu- tio probabilis quidem est, reverà tamen dif- ficilis; id est, est probabilis, falsa tamen: ergo opinio rejecta ut falsa, potest esse pro- babilis: & *n.* 42. ait: Hæc ratione, & viâ explicatur satis probabiliter, & piè, quali- ter homines infideles, etiam illi, qui nihil de Fide audierunt &c. Idem ait *n.* 43. ad cujus finem dicit: Vide alium modum, quo fortè probabilius exponi potest &c. Ecce utitur solutione purè probabili: & *disp.* 120. n. 33. ait: Puto hanc sententiam valde probabi- lem, eamque sequitur; quin *n.* 36. ait: Val- de probabile est, immò nostro iudicio pro- babilius &c. Ecce solâ probabilitate, aut probabilioritate contentus est. Et *n.* 67. ait: Etsi allata solutio sit valde probabilis, & sa- tis pia, non tamen videtur satisfacere: & *n.* 73. ait probabilem sententiam D. Thom. de S. Tho- amoris præcepto, primo rationis instanti, etsi oppositam sequatur: & *ibidem* ait pro- babile admodum esse, quòd Deus initio usûs rationis conferat omnibus adultis auxilia, saltem remotè sufficientia ad ipsum aman- dum super omnia... suffragatur Godoy 1. M. God. 2. *qu.* 109. *disp.* 40. *§.* *ult.* & probabile putant Salmat. PP. Salmanticenses. Ecce tum, quòd Sal- manticenses utantur solo iudicio modalis; tum quòd C. Aguirre iudicat valde proba- bilem sententiam, quam non sequitur. Et hæc quoque ex 3. *Tomo* satis sint, ut inde constet nullum Adversarium esse posse Theologum, nisi utatur nostrâ doctrinâ de sufficientiâ solius iudicii modalis, & certi de objectivâ probabilitate, aut probabiliorita- te veritatis opinionis.

Episcopus Abulensis, qui meritò tum do- N. 179. ctrinæ extensione, tum sapientiæ celsitudi- ne, Hispaniæ Salomon nuncupatur, loquens de opinione tuente, longè plures damnan- dos, quàm salvandos, in *caput* 22. Matth. *qu.* 69. ait: *Ista positio est communis, & satis verosi- milis.* Ecce solum iudicium modale de com- munitate, & probabilitate opinionis satis fuit

fuit dicto Authori ut prudenter procederet in dubij resolutione; ergo multo magis nobis, nisi supra sapientissimos sapere velimus.

§. II.

Reliqui Doctores.

SUMMARIUM.

Qui solo iudicio reflexo de quolibet certâ, etsi minori, probabilitate utuntur; M. Hozes, n. 180. Joan. Sanchez, n. 181. Illust. Malder, n. 182. Leander à SS. Sacram. n. 183. Aversa, n. 184. Thom. Hurtado, n. 185. Verricelli, n. 186. Diana, n. 187. Basilius Ponze, n. 188.

Alij DD. Ibid. & n. 189.

Egregium dictum Caietani in eos, qui propria opinioni tenaciter adhaerent, n. 190.

Docilitas ingenij laudatur à Scripturâ, à D. Augustino; eaque deseritur per doctrinam Probabilioristarum, n. 191. 192.

Errores ab Ecclesiâ damnati ne quidem sunt opiniones, multo minus probabiles, n. 139.

Quantum estimanda opinio aliena juxta S. August. & alios, n. 194.

N. 180. **M**agister Hozes, vir æquè Religiosus, ac doctus ex inclyto Carmelitarum Calceatorum Ordine in *Exposit. Damnat. sæpe ad solam probabilitatem recurrit, & infert licitum sub eâ operari: ita pag. 40. n. 80. infert licitum Religiosis uti Bulla Cruciatæ in ordine ad absolutionem, eo quia hæc sententia est certo probabilis, immò miratur cum P. Fr. Andrea de Matre Dei Carmelitâ Discalceato, quod PP. Societ. eam vocent improbabilem.*

N. 181. Joan. Sancius Salmantinâ in Academiâ celeberrimus, plerumque in suis Selectis sibi nititur probabilitati, ut passim legere est.

N. 182. Illust. Malderus Antuerpiensis Episcopus, sapientiâ suâ satis notus, in 2. 2. tr. 5. Malder. cap. 3. dub. 6. & alibi frequenter suspendit iudicium directum, contentus solo reflexo de probabilitate.

N. 183. Leander à SS. Sacram. vir sanè doctissimus, tom. 2. de Sacram. tr. 6. disp. 13. qu. 13. probabilem vocat opinionem tuentem, quod voluntariè distractus satisfaciât præcepto recitandi: & tom. de Pœnit. disp. 8. qu. 20. quærens, an unum, an plura peccata sint, plures uno ictu occidere, ait: Affirmant communiter DD. sed æquè probabiliter respondeo negativè &c. & tom. 4. de Censuris tr. 1. disp. 3. qu. 51. ait probabilius esse, quod in hoc casu non sit duplex peccatum: & ibid. tr. 2. disp. 17. qu. 85. ait satis, probabile esse,

quod, absolute loquendo, possit Confessor ex vi Bullæ Cruciatæ absolvere Hæreticum occultum, & emendatum. Adverto tamen hanc opinionem non esse probabilem. Superfedeo ab alijs locis, ubique enim spuram probabilitatem objectivam.

Aversa inter suos regimine, & inter ceteros N. doctrinâ satis notus, de Euchar. qu. 10. sect. 182. 4. quærens, an ex necessitate possit purus Aet. Laicus, vel etiam fœmina ministrare Eucharistiâ sibi, aut alteri in mortis articulo constituto, ait: Id etiam his temporibus in casu præcisè necessitatis censeri potest licitum: ecce non dicit, iudico, sed iudicari potest licitum: ergo dummodo adit motivum certò grave, cui iudicium directum niti potest, etsi hoc suspendatur, hæc talis ministratio: ergo ad licitè operandum satis est probabilitas objectiva, sine formali. Ita sæpe alibi de Pœnitentiâ, Baptismo, nec non in quæstionibus speculativis.

Thomas Hurt. ut plurimum iudicio de N. objectivâ probabilitate utitur: ita tom. 2. tr. 182. 8. cap. 1. ref. 9. n. 175. & 198. quærens, an Th. gabellæ iustæ solvi in conscientia debeant, si hæc ab exactoribus non exigantur, resolvit reflexè per probabilitatem, non per veritatem; ait enim valdè probabile esse sententiam hoc asserentem: & ibid. tr. 12. cap. 1. n. 152. ait, valdè probabile esse, quod hæresis occulta sit casus Episcopalis: & tom. 1. tr. 5. resol. 17. asserit valdè probabile, quod Episcopi vigore Tridentini absolvere possint Hæreticos occultos. At quid plura ex docto Authore, cum ubique probabilitati nitatur?

Verricelli, vir verè doctissimus, jurem. N. rito à Bordonis appellatus cap. 6. in Propag. 186. nac. n. 16. ut plurimum ad probabilitatem Verricelli objectivam accurrit, ut oculis ipsis manifestum est; inter alia hæc habet tr. 2. qu. 10. quod si intellectus ferre deberet iudicium inter res probabiles, non necessario iudicaret simpliciter verum, quod est probabilius (ecce, quàm aperte opponatur Modernis Probabilioristis, tum iudiciis simpliciter verum, quod est probabilius, tum obligantibus ad iudicium directum de veritate opinionis probabilioris) sed utrumque altereret verum plus, & minus, quatenus probabilior magis accedere videtur ad objectivam veritatem rei, quàm minus probabilis; adhuc tamen utraque involvit veritatem moralem, secundum magis, & minus, ut ait Bordonus cap. 5. n. 28. & cap. 6. n. 21.

Diana celeberrimus in re morali, vix ali. N. quid directè resolvit, sed ferè semper utitur iudicio reflexo: ita pari. 4. tr. 3. resol. 20. Diana probabi-